

se transtulit et illatam sibi iniuriam a proprio filio revelavit. Marchionos igitur cognati | regis super hoc graviter indignati regem consolantur et bona plurima pollicentur. Nam congregatis^{e)} militibus regem Bohemie cum suis ad propria reduxerunt et in civitate Egra¹⁴⁶⁾ filium suum et eius exercitum cum Theotonicis obsederunt. Filius autem videns, quod patri resistere non valeret, occulte de civitate fugit et patri, quoad vixit, propria dereliquit. Tunc rex Bohemie cognatis suis Theotonicis de beneficiis sibi collatis gratias egit donaque plurima tribuit et ad terram suam pre cunctis populis invitavit. Multiplicati sunt ex tunc ibi Theotonici et in terra Bohemie multiplicabantur. Crevit igitur rex in divitiis et honore, quia Theotonici Bohemis aurum et argentum diligentius quesiverunt. Invenitur enim terra Bohemie aurum et argentum in rivis, pratis, montibus in maxima quantitate. Ex tunc non fuit ausus filius patrem regem Bohemie perturbare. Post mortem¹⁴⁷⁾ autem patris cepit filius regnare et de regno Theotonicos extirpare, castra nobilium in-pugnare et omnes vicinos suos suo dominio subiugare. Multos enim per fraudem et contra equitatem cepit eorumque bona diripuit ac ipsorum omnia devastavit, unde odiosus factus eciam suis, quod nullus sibi bona cupiebat vel fideliter serviebat. Cum autem iam ille rex cum uxore sua sine liberis vixisset, cepit regina graviter infirmari et subito ingressa est viam carnis universe¹⁴⁸⁾. Post hec rex dispensacionem contrahendi matrimonium cum sorore Margareta¹⁴⁹⁾ moniali in clauastro ordinis predicatorum apud Treverim petere et hoc optinuit aput papam. Sed cum ipsam annis paucis habuisset et per ipsam Austriam possidebat et tamen per eam liberos non habuisset, vocavit¹⁵⁰⁾ ad se regni sui dominos scilicet archiepiscopos¹⁵¹⁾, episcopos et alios in dignitatibus constitutis

fol. 182^v(245,
16—26)

e) Hs. congratis

¹⁴⁵⁾ Heinrich III., der Prächtige von Meissen, geb. 1215/16, Landgraf von Thüringen 1247, gest. 1288, verh. in 2. Ehe 1244/45 mit Agnes, der Schwester Ottokars II. Přemysl. Sie starb 1268.

¹⁴⁶⁾ Eger.

¹⁴⁷⁾ 22. 10. 1253.

¹⁴⁸⁾ Von dieser Ehe sonst nichts bekannt.

¹⁴⁹⁾ Die Babenbergerin Margarete von Österreich war die Witwe König Heinrichs VII. (gest. 1242) und eine Tochter Herzog Leopolds VI. Geboren um 1221, heiratete sie am 8. 4. 1252 Ottokar II. Přemysl von Böhmen. Sie starb 1267.

¹⁵⁰⁾ Diese Verhandlungen fallen in das Jahr 1261. Margarete verließ Prag am 18. 10. 1261.

¹⁵¹⁾ Die Teilnahme von Erzbischöfen ist ein Irrtum des Chronisten. Böhmen hatte zu dieser Zeit noch kein Erzbistum (Erzbistum Prag erst 1344).